



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA CAIESENSIS

(IEREMIOPOLITANA)\* DETRACTIS QUIBUS DAM TERRITORIIS A DIOECESI CAIESENSI ALIA CONDITUR,  
NOMINE «IEREMIOPOLITANA». Qui, Beati Petri successores, in catholicae Ecclesiae finibus honoris principatum  
tenemus officioque simul, omnium quidem gravissimo, Christi oves et agnos universos ducendi et pascendi fungimur, ea  
coepta pro apostolico Nostro munere pertexenda curamus, quae ad christianorum fidelium utilitatem maximopere  
conducant. E quibus, cum novarum dioecesum constitutionem esse pro certo habeamus atque Episcoporum  
amplificatam nominationem, libenti animo accepimus quod venerabilis

Frater Ioannes Iacobus Claudius Angénor, Episcopus Caiesensis, auditio Haitianorum Episcoporum coetu, significavit,  
posse nempe e peramplo dioecesis suaे territorio aliam quandam excitari, idque commode. De sententia ideo  
venerabilis Fratris Aloisii Barbarito, Archiepiscopi titulo Florentinensis et in Haitiana Republica Apostolici Nuntii,  
Sacraeque Congregationis pro Episcopis sequentia decernimus ac iubemus. A dioecesi Caiesensi territoria separamus  
civilium regionum vulgo Grande Anse et Anse d'Hainault appellatarum, iisque novam dioecesim constituimus,  
*Ieremiopolitanam* appellandam iisdemque cingendam finibus ac regiones, quas diximus, simul sumptae. Fines igitur hi  
erunt: limes a promunturio Cap-à-Foux nuncupato, in litore australi ad meridiem paroeciae vulgo Les Irois sito, orientem  
versus pergit usque ad intimam partem paroeciae cum nomen Tiburon; dein iuga montium, vulgo Hotte assecutus eaque,  
in fines versus paroeciae Dory vocatae, servans Glaciale fumen, vulgari lingua Rivière Glacée intercipit. Hinc ad  
septemtrionem et orientem pergens, idem limes locum attingit vulgo Etroit, parva in insula Baradères nuncupata.

Mandamus praeterea ut Episcopi sedes in urbe Jeremie sit, eiusque magisterii cathedra in curiali templo ibi exstante,  
Deo in honorem Sancti Aloisii Francorum Regis dicato, quod cathedralē erit, cum iuribus privilegiisque congruis.  
Ieremiopolitano autem sacro Praesuli, praeterquam iura et honorē tribuimus, officia quoque imponimus, Ordinariorum  
locorum propria. Condita insuper Ecclesia suffraganea erit metropolitanae Sedi Portus Principis, eiusque Episcopus  
eiusdem metropolitanae Sedis Archiepiscopo. Canonicorum collegium ad normam iuris condatur, per alias sub plumbo  
Litteras; interea tamen consultores dioecesani deligantur, qui Episcopo consilio et adiumento assint. Ad Seminarium  
quod attinet, idem struatur, servatis praescriptis iuris communis, decretis Concilii Vaticani II «Optatam totius»,  
peculiaribus normis Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica. Selecti vero iuvenes, philosophicis theologicisque  
disciplinis imbuendi, Romam mittantur, apud Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum. Dioecesis mensam  
constituent Curiae emolumenta, fidelium oblata pecunia bonaque ad normam canonis 1500 C.I.C. ad dioecesim  
Ieremiopolitanam pertinentia. Dioecesis regimen, administratio, Vicarii Capitularis electio, fidelium iura et onera, aliaque  
id genus sacris canonibus regantur. Simul ac hae Litterae Nostrae ad effectum adductae sint, eo ipso sacerdotes  
Ecclesiae illi censeantur addicti, in cuius territorio beneficium vel officium habeant; ceteri autem clerici seminariique

tirones, ei in qua legitime defiant. Acta et documenta, constitutam dioecesis respicientia, ad eius curiam a Caiesensi transferantur, in tabulario religiose custodienda. Haec quae praescripsimus venerabilis Frater Aloisius Barbarito ad effectum adducat, vel ab eo delegatus sacerdos. Qui autem negotium perfecerit, congrua documenta ad Sacram Congregationem pro Episcopis de more mittat. Ham vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sint ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive mane exaratis, quae sigillum viri praferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nonagesimo septuagesimo secundo, Pontificatus Nostri nono.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA <i>S. R. E. Cancellarius</i>	CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. pro Episcopis Praefectus</i>
--	---

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regensloannes Calleri, Protonot. Apost.*

Eugenius Sevi, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXIV (1972), n. 7, pp. 465-467 © Copyright 1972 - Libreria Editrice Vaticana